

mota fuisset, pro nostris iniquitatibus pene omnes ecclesias ad Aquileiensem synodum pertinentes Galliarum sacerdotes pervaserant. Ergo, domine pie, quia semper piissimorum principum fides pro tranquillitate ecclesiae vigilavit, et hoc studio, repensante Deo, contrariae gentes divina manu compressae sunt, mereamur nos humillimi sacerdotes supplicationis nostrae sortiri effectum. Nam, qui aliter pio domino nostro subrepere cupiunt, nec Dei iudicium habent prae oculis, nec utilitatem sanctae rei publicae vestrae, seu opinionem pii imperii, quam lacerari non metuunt de murmuratione totius populi partium istarum, qui persecutionem evidenter christianis fieri suspicantur. Praesentem igitur supplicem relationem confidenter direximus, quam pia clementia dignetur placida aure recipere, ut effectum nostrae supplicationis, Deo vobis aspirante, sortiri pro quiete matris nostrae Aquileiensis ecclesiae sacratissimis iussionibus reveletur, et pro incolumitate domini nostri ac dominorum filiorum vestrorum domino Deo nostro iugiter supplicamus.

Et subscriptio :

Ingenuinus, episcopus sanctae ecclesiae Sabionensis, hanc relationem a nobis factam subscripsi.

Maxentius, episcopus sanctae ecclesiae Juliensis, ut supra.

Laurentius, episcopus sanctae catholicae ecclesiae Bellunatae, ut supra.

Augustus, episcopus sanctae catholicae Concordiensis ecclesiae, ut supra.

Agnellus, episcopus sanctae Treientinae ecclesiae, ut supra.

Agnellus, episcopus sanctae Acelinae ecclesiae, ut supra.

Junior, episcopus sanctae ecclesiae catholicae Veronensis, ut supra.

Fonteius, episcopus sanctae Feltrinae ecclesiae, ut supra.

Felix, episcopus sanctae Tervisianae ecclesiae, ut supra.

Horontius, episcopus sanctae catholicae ecclesiae Vetetinae, ut supra.